

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 1775

**Auteur(s) :** Hugues d'Amiens, Rouen (archevêque)

**Bénéficiaire(s) :** Aumale, Saint-Martin d'Auchy (abbaye)

**Genre d'acte :** lettre

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1130

**Action juridique :** fondation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Fondation de l'abbaye Saint-Martin d'Auchy, ou d'Aumale.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta ecclesiae Rotomagensis, n° XVIII, col. 22.

Texte établi d'après a

Hugo, Dei gratia Rotomagensis ecclesiae servus indignus, universis ecclesiae Catholicae filiis, tam praesentibus quam futuris salutem. Commodum gratiae profectum intrare in perpetuum. Sciatis quia principis Albæ-Marlae Willelmi largitione, et regis Anglorum, ac ducis Normannorum Henrici grata concessione statuimus, ecclesiam S. Martini Acciensis abbatiam utique fieri monachorum : ad hoc sane, ut Domino humiliter serviant, et professionem obedientiae Rotomagensi archiepiscopo persolvant ; nec filiis Belial, qui humilitatem praetendunt, et superbiae serviunt, omnino consentiant, qui benedici refugiunt, quia obedientiae debitum profiteri nolunt. Hanc itaque abbatiam ita disponimus, ut ab ecclesia S. Luciani Belvacensis abbatem primum accipiant, postmodum vero si intra ecclesiam suam idoneum invenerint, in abbatem sibi eligant, aut si vero non invenerint, ab ecclesia S. Luciani abbatem sibi canonice requirant. Quod si abbas S. Luciani dare noluerit, tunc accepta ab eo scientia, alias requirant ecclesias, ut a qua voluerint ecclesia abbatem idoneum licenter eligere possint. Quia vero abbatia Acciensis per abbatem et monachos S. Luciani Belvacensis exordium sumpsit, in tanti remuneratione beneficii statuit praefatus princeps Albæ-Marlae, duas de censu Albæ-Marlae marcas argenti, per singulos annos persolvendas ecclesiae S. Luciani, tam pro se, quam pro predecessibus suis : et monachi S. Martini accipient eas, et reddent ecclesiae S. Luciani. Quod si praedictae marcae in crastino festi S. Remigii, prout statutum est, solutae non fuerint, decano archiepiscopi Rotomagensis Albæ-Marlae provisorio injungimus, ut eas infra quindecim dies reddi faciat ; et si infra quindecim dies illis redditae non fuerint, divinum in parochia S. Martini et castello Albæ-Marlae fieri interdicat officium, donec ecclesia S. Luciani Belvacensis praefatum debitum accipiat. Qui autem hujus instituti transgressor fuerit, hunc, et si monachi S. Martini Acciensis praedictas marcas, sicut scriptum est, ecclesiae S. Luciani non reddiderint, sicut transgressores sciant se divino judicio puniendos reservari. Decanus vero parochiae illius, si justitiam quae suprascripta est minime fecerit, sciat se ab officio deponendum, donec pro satisfactione duas marcas argenti archiepiscopo Rotomagensi solverit. Actum hoc anno Incarnati Verbi 1130, Innocentio papa Romano, regnante rege Francorum Ludovico, et principante in Normannia rege Anglorum Henrico. Ego

Hugo Rotomagensis archiepiscopus, Ricardus archidiaconus, Osmundus archidiaconus, Valeranus archidiaconus, Robertus archidiaconus, Fulbertus archidiaconus, Nicolaus decanus, Varnerus capellanus, Guillelmus Bisette.